



Ridericus ex nobili familia Riffenbergiorum in Hassia anno circiter 1515 natus, à teneris annis armorum studia dilexit, atq; inde principum castra secutus, magnam sibi in bellis autoritatem comparauit. erat enim manu strenuus, & singulari prudentia insignis. Has in eo virtutes cum Heinrichus Angliae rex intellexisset, eum magno stipendio ad se cum Germano milite pellexit, ut Galorum conatu cōmodius resistere posset, anno 1544. Cum is in finibus Saxoniae pedites conscriberet, Heinrichus Brunsuicensis in Galli fauorem eas copias dissipare studebat. Verūm Fridericus celerius se in tutum recepit, quām Brunsuicensis superuerisset. Inde Anglo (permittente Cæsare) strenuam operam sua legione nauavit, & ut æqua tandem pax inter reges lanciretur, effecit. Cum autem postea Smalkaldicum bellum exortū esset, sese cum sua legione ijs coniunxit, & rem sibi commissam gnauerter expediuit. Erat eo tempore Maximilianus Buranus comes in Belgia, qui ad Rhenum ascendens, transire cum copijs ad Cæsarem conabatur. huic confederati Riffenbergium opposuēre. Verūm Buranus ab Archiepiscopo Moguntino adiutus, tādem circa Moguntiam transiuit. Itaq; Riffenbergius ad Donauerdam sese Landgrauio coniunxit, huic etiam commissum, ut postremū agmen exercitus Smalkaldici, dum in itinere hostis expectaretur, tueretur. Eam prouinciam cum fortiter expediuit, postea à Carolo victore Augustæ proscriptus fuit 1548, præsertim cum is Protestantium religioni adhaereret. Hæc etiam causa fuit, quod postea ad tēpus Basileæ comoratus, & tandem ad regem Galliæ profectus fuerit, cui etiam preclaram in re bellica contra hostem operam nauauit.